BERNHARDI KÖHNE
J. U. D.
DISSERTATIO
DE
Moderno Statu Electorum Sacri Imperii.



LUGD. BATAV.
Apud DANIELEM à GAESBEECK.
MDCLXXX.



Digitized by Google

MAXUME
REVERENDIS ILLUSTRIBUS GENEROSIS MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS DOMINIS

D. Cancellario DD. Conſiliariis.

QUORUM
EXACTÆ VIGILANTIÆ
SUBACTÆ PRUDENTIÆ
INTACTÆ FIDEI.

Orientalis Pomeraniæ & Principatus Caminenſis

VICARIUM REGIMEN

Digitized by Google

ÆVITERNUM
IMPERII DECUS
AUREUM
ILLUD DOMUS
BRANDENBURG.
CAPUT
MAGNUS
FRIDERICUS
WILHELMUS.
CLEMENTISSIME
FELICISSIME
COMMISIT
DOMINIS MEIS
COLENDISSIMIS
PATRONIS
FAVENTISSIMIS
HANC
DISSERTATIONEM DEVOTE
ATQUE
OBNOXIE CONSECRAT
AUTOR.

Digitized by Google

L. B. S.

Quartus jam annus agitur, ex quo in florentiſſima Lugduno-Batava de nobiliſſimo hoc Juris Publici argumento quædam concinnata modeſto eruditorum conflictui exponebam. Animus tum erat univerſum illud thema pro virili excutere & præprimis exercitationibus Academicis ſub initio comitiorum Europæ, quæ Noviomagi habebantur, commilitonibus literatis illuſtrem S.^mrum Electorum ſtatum, cujus imperitia nonnulli vehementer laborabant, patefacere. Corruperat ſiquidem quorundam cùm Galliæ, tum ipſius quoque Germaniæ ſcriptorum fœcundus error adeò remotiorum à

 nego-

Digitized by Google

negociis noſtris animos, ut paſſim mirarentur Chriſtianiſſimi Regis in admittendis Legatis Brandenburgicis facilitatem. Externa quoque facies & ceremoniarum pleniſſimus ſtylus multis imponebant, ut cùm caſſa ſpecie vel inanibus (ſi diis placet) Carolo Paſchalio c. 11. Legat. *auſpice, ſe capi negarent, ſimulacris largiſſimè deciperentur. Hinc mihi tum temporis illa ſurgebat diſſertatio, mox eodem in loco, ſi per fata licuiſſet, uberiùs illuſtranda. Aſt vix cathedra diſceſſeram, cùm clementiſſimis literis ad* Celſiſſimum Principem *ALEXANDRUM* in Livonia, Curlandiæ & Semgalliæ Ducem, Dominum meum benigniſſimum *intempeſta hyeme, citra ullum dila-*

tionis

Digitized by Google

tionis beneficium, evocabar. Sic ſupremi Numinis imperio obſequuto, relinquendæ fuerunt cum imperfectis theſibus ſedes longè deſideratiſſimæ. Ab eo verò tempore & ſplendidæ aularum compedes & victricium armorum in Pomerania ſtrepitus ita vel invitum obſtrinxere, ut jam omnem de poliendo fœtu ſpem damnaverim. Nunc verò propitio Deo in viciniam præter opinionem redux non potui hæſitare, cui materiæ explicandæ oleum inſumendum ſit; cùm fidem §. 9. & 24. datam nondum liberaverim, ipſa diſſertatio notis perpetuis indigeat, aliamque id præſtandi occaſionem per injuncta negocia nullus videam. Inſtiti proinde notis callibus nec ullam, niſi

cùm ſuaſit utilitas aut imperavit neceſſitas aphoriſmorum mutationem inſtitui, quò conferentibus expeditior eſſet ratio colligendi, quid mutatum, quid reſectum, quidve poſterioribus cogitationibus adjectum ſit. Omnia quidem diffuſi hujus thematis me nondum expediviſſe ingenuè fateor, ſed pro candore tuo facilè advertes me non prolixum hîc moliri commentarium Videbis tamen, ſi rectè auguror, plura brevibus hiſce pagellis conſignata, ac vaſta quorundam volumina in hac ſaltem theſi promittunt. Erratis autem, ut homines ſumus, faciliùs ignoſces, cùm me quoque ipſis inſenſiſſimum è collationibus perſpexeris. Sic vale candide Lector & conatibus noſtris fave.

DIS-

Digitized by Google

750 e.16.3

DISSERTATIO
DE
Statu Electorum Sacri Imperii.

Elegantiſſimè variarum ille gentium non perſunctorius obſervator *Wilhelm. Buſſius: Se in Italia palatia & antiquitatum monumenta, in Gallia & Hiſpania præſules, in Anglia agricolas, in Polonia nobiles, in Germania Principes omni laude atque admiratione dignos inveniſſe* cenſuit. *Lanſius conſult. 1. de princip. int. Provinc. Europæ.* Ita ſcilicet nulla toto orbe apparet regio, quin peculiari quadam prærogativa fulgeat, quem Sacri Imperii ſplendorem præcipuè in eminentia Principum divina conſtituit providentia. Utut enim

ædificiorum ſplendore, urbiúmque magnificentia cum Italia conferri, cæteris verò regionibus præferri Germania, *Cluverio l. 3. c. 1. Geograph. judice*, poſſit: quamvis è ſuperioris ævi ſuperſtitione major nullibi Præſulum ſit potentia, nec minor fortè ingenii gratia: quanquam ruricolarum, (ſi Sueciam atque Omlandiam à comparatione excludamus) præter pauciſſima loca, ſ[illegible]s etiam tolerabilis exiſtat conditio: licèt noſtra quoque nobilitas, utut numero & privilegiis, Reipublicæ tamen iniquioribus Polonicæ ſuccumbat, nec generis eminentia aut virtutis gloria cuiquam conceſſerit, atque ita omnium rerum, quibus alia regna gloriantur, Imperium Germanicum dici queat affluentiſſimum; rectè tamen laudatus author primarium nationis noſtræ decus, invidendam æſtimavit Principum ſortem, qua omnibus aliarum ditionum ſine exemplo antiſtant. Agnovit ſanè hanc ipſam in Proceribus ſuis Inviƈtiſſimus Impe-

Digitized by Google

Imperator *Maximilianus* I. excellentiam, cùm *alios hominum, aſinorum aut diabolorum*, *ſe ſolum regum regem* vocitavit. Judicavit idem potentiſſimus à Carolo Magno *Carolus Quintus* Cæſar, cùm *ſe alüs in regnis ſervis & mancipiis, in Germania regibus imperitare* dixit, eóque ſe majorem, quò majoribus præerat veriſſimè credidit. Uti enim ſuperioritatem, quam vocant, territorialem & maxima regalia poſſident; ſic tantùm, imò longè plùs in ſuis ditionibus, quàm Imperator in Imperio vulgato proverbio obtinent. *vid. Lampad. p. 3. c. 3.* Accedit, quòd antiquiores familiæ ut plûrimùm imperatorio regioque ſtemmati originem debeant, vel affinitate juncti ſint, vel exoticis regionibus Hiſpaniæ, Daniæ, Sueciæ Moderatores ſuos dederint: quod agnoſcens *Æneas Sylvius* poſtea *Pius* II. Pontifex nullibi illuſtriores Principum proſapias reperiri aſſerit. *Magnif. D. Bœckelman. ad ff. p. 217.* Ipſa denique omnibus major imperialis dignitas in Prin-

Digitized by Google

in Principes hoſce ſolos derivatur. Nec enim hiſtoriæ gnaros fugit, quot è Franconibus, Suevis, Saxonibus, Auſtriacis Duces; quin & Hollandiæ, Schwartzburgenſes Naſſovii Habspurgicique Comites faſtigium illud obtinuerint. Cùm etiam antiquitatum noſtrarum peritioribus, interque eos immortali Juliæ ornamento *Herm. Conringio*. cui hiſtoria Germaniæ plurimùm debet, eligendi facultatem omnibus Statibus competiiſſe admodum veriſimile videatur, etiam ipſos de nominando ſupremo Orbis Chriſtiani capite ſtatuiſſe facilè pateſcit.

Etſi verò hæc incomparabilis, levi duntaxat tacta brachio, eminentia Principibus in hunc uſque diem ſarta illibataque manſerit, circa Cæſarum tamen electionem ſalus populi, quam meritò ſupremam legem Sapientes appellitant, aliud imperando ſuaſit, & hanc poteſtatem ad pauciores, conſilio Reipublicæ utiliſſimo reſtrinxit. Atque hoc erit no-

Digitized by Google

noſtrum argumentum, cui enodando, favente Numine, nos accingimus, viſuri qui qualeſque ſint illi Principes, quæ illorum origo, quæ requiſita & officia, quantaque eorum par regibus exiſtat dignitas.

Dicuntur autem illuſtriores iſti Principes *Electores* Khur- Keur- vel Wahl-Furſten & ſunt primaria Imperii membra jus eligendi Cæſarem tenentia. Palmites imperiales & ſeptem candelabra in unitate Spiritus ſeptiformis lucentia, ſuique corporis partem aureæ bullæ conditor *Carolus Quartus c.* 1. 12. 24. eos vocitat. Alii ab officio principales Imperii patres & ſenatores, alii à numero Octoviros, (Septemviros tamen rectè adhuc dici poſſe D. *Feltman. c.* 16. de jure in re rectè ſtatuit) alii à ſplendore Archi-Principes dixere. Ephoros nonnemo aut Præfectos Prætorio appellat, ſed parùm convenienter, cùm quantum Laconica & Romana illorum ſeculorum Reſpublicæ à noſtro ſtatu, tantùm Ele-

Ctores

ſtores ab hujuſmodi officialibus differant.

Septenarius illorum quondam obtinebat numerus, ſeu quid ſancti ſubeſſe prioris ævi ſuperſtitio credidit: ſeu ut è paritate reſultans diſſenſio ſeptimo voto eliminaretur, quamvis & hoc minore numero fieri potuiſſet: ſeu quòd è potentiſſimis Officialibus nemo commodè præteriri potuit. Inſtrumentum pacis verò §. 4. neceſſitatis nomine octavum addidit; cùm antea nec Hungariæ Regi Bethlen Gabori, neque Maximiliano I. ut Auſtriæ Archi-Duci id vehementer urgentibus conceſſum fuerit, *D. Strauch. exerc. exoter. 3. n.* 10.

Tres illorum ſunt Eccleſiaſtici *Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis Archi-Epiſcopi*, quos aut immodica Sacerdotum in Germania, ſine quibus nihil auſpicatò geri majores noſtri credebant *Tacit. German. c.* 7. exiſtimatio; aut eruditionis præſumtio, quæ tum temporis, exigua licèt, hujus ordinis fuit

ferè

Digitized by Google

ferè propria; aut quod magis probabile Archi-Cancellariorum ſuprema munera, quæ prioribus adminiculis conſequuti ſunt, tanto faſtigio aſcripſerunt. D. *Oldenburg. part. 4. theſ. rerump.* §. 121. Quinque ceteri ſunt ſeculares: *Bohemiæ Rex, Bavariæ Saxoniaque Duces, Marchio Brandenburgicus & Comes Palatinus Rheni*, quibus indubiè potentia, officiorum ſplendor & imperii vigilantior cura ſublime iſtud decus conciliarunt.

Hodienum tanto muneri feliciter præſunt Eminentiſſimi Sereniſſimique Principes, quorum fama, Xenophontes Pliniosque amans Panegyriſtas, pagellarum noſtrarum carceres excedit. In *Moguntina* diœceſi noviſſimè poſt varias mutationes Electoratum obtinuit Erfurti Gubernator ANSELM: FRIDERICUS ab Ingelheim. *Carolo Caſpari van der Leijen* ſurrogatus eſt *Treviris* Anno 1676. - - - - - - D. von Oersbeeck. Potentiſſimus Clericorum MAXIMILIAN.

LIAN. HENRICUS è Bavariæ Ducibus *Colonienſibus* Anno 1650. præfectus eſt. *Bohemiæ* Regis locum ab Anno 1656. ſupplet Sacratiſſimus Imperator LEOPOLDUS I. à Pharamundo generis primordia arceſſens. *Bavaricum* Electoratum ab obitu *Ferdinandi Mariæ* tenet Filius MAXIMILIANUS minorennis ſub tutela Agnati adoleſcens, Carolumque Magnum in majoribus recenſens JOHANNES GEORGIUS II. è regia Witekindi ſtirpe ab Anno 1656. *Saxonibus* feliciſſime præeſt FRIDERICUM WILHELMUM Brandenburgicum, *alterum* familiæ ſuæ *Achillem* ad Zolleranos, (quanquam inde Hujus genealogiam ad Carolum M. & Ottones proximè elapſo anno *D. Behm* eruditè traduxerit) primordia gentis referentem ab Anno 1640. veneramur. CAROLUM denique LUDOVICUM noſtri ſeculi *Salomonem* ejuſdem cum Bavaro originis Palatinum Rheni Comitem ab Anno 1648. ſumma cum admi-

Digitized by Google

admiratione orbis Germanicus aſpicit. Vid. D. *Cruſ. de jure* προεδρίας paſſim.

Initia hujus eminentiæ ſatis intricata apud Hiſtoriographos occurrunt. Alii (ut ſententiis à *Rumelino ad* A. B. p. m. 125. citatis ſuperſedeam) ad ſeculum nonum & ſceptra *Ottonis* III. referunt, & modò Cæſarem, modò Pontificem tam ſanctæ conſtitutionis authorem prædicant. Alii *Friderici* II. ſtatuto imputant. Alii denique tacito Principum conſenſu & conſuetudine longa introductam, ſed ſeculo demum decimo tertio à *Carolo* IV. *Aureâ Bullâ* ſtabilitam fuiſſe aſſerunt. Primam ſententiam ſublestæ fidei D. *Spanheim. hiſtor. eccleſ. p.* 611. obſcuritatis *Boxhorn. hiſtor. univ. p. m.* 529. arguunt, quamvis hic Palatinorum Rheni & Saxoniæ originem iſtis temporibus tranſcribendam colligat. Sed nec Pontifices authores vel ſuprema Ottonis III. Romanorum flagelli authoritas, vel crudeliſſimus illorum in Teutones animus laudare ſuſtinuerint,

Decre-

Decreta licèt aliter diſponant & hoc ſeculo *Innocentii* X. nocentiſſima adverſus pacem Germanicam bulla id manifeſtè ſedi Apoſtolicæ, ſi diis placet, vindicet. Intererat enim pii animarum Paſtoris, majoribus ſuper electione turbis Germaniam involvi, ne ſæpius jura ſua in Italiam iret repetitum. *Monzamb. c.* 4. Conſtat inſuper ſubſequentibus ſeculis *Henric.* II *Frideric.* I. alioſque Cæſares ab omnibus regni proceribus fuiſſe electos. *D. Struv. jur. feudal. c.* 3. Fridericum II. Electores condidiſſe nullæ tabulæ declararunt: è contrario *Carolus* IV. ad conſuetudinem provocat, quam juri ſcripto contradiſtinguere JCtis familiare eſt. vid. *D. Conring. ad Lampad. part.* 3. *c.* 4. Pedibus interim in eorum imus ſententiam, qui illuſtriſſimum hoc eligendi privilegium à triſtibus *Frideric.* II. fatis ſibi ſolis Officiales arrogaſſe, hujuſque aliquot actibus repetitum exercitium Aureâ Bullâ confirmatum fuiſſe diſſerunt. Fuit enim ſub fatali illo ab

Anno

Digitized by Google

Anno 1258. ad 1273. interregno talis in Imperio *ἀναρχία*, ut, tota regione civilibus turbis involuta, ſceptri curam omnes inſuper haberent, moreque hactenus inuſitato, exteros *Richardum Angliæ & Alphonſum Arragoniæ* reges ad coronam evocarent. Quam cùm neuter obtineret, nec mutua Principum inter ſe fœdera malis ingruentibus ſufficerent, Officiales ſucceſſere clavo, nec diſſentiente reliquorum Principum ordine, *Rudolphum* Habspurgi Comitem, prudentia & fortitudine inclytum, Germaniæ Regem declararunt. Uſi ſunt eadem ſive cura, ſive authoritate in *Adolpho, Alberto, Henrico. Ludovico & Carolo* eligendis Officiales, donec poſtremus ſanctione publica eminentiæ Electorali adderet vires: à quo tempore demum Electoris titulum ſeptem illos Principes aſſciviſſe author eſt *Burgoldenſ. part. 1. diſſert. 19.*

An verò ex re ſit Imperii tantum jus Electoribus eſſe ceſſum fruſtrà non minùs,

nùs, quàm periculoſè, cùm boni civis ſit præſentem amare ſtatum, diſquiritur. Illud quoque Juris brocardicum: *Quod omnes tangit, id ab omnibus approbari æquum eſt*, in ſocietatibus publicis ubique obtinere, non niſi in Politicis admodum hoſpes affirmaverit. Vid. D. *Puffendorff de Jure Nat. & Gent. l. 7. c. 2. §. 16.* Sanè vero convenientiùs de utilitate hujus inſtituti *Nicol. Betſius de pact. famil. illuſt. c. 7.* judicat, cùm *Electorale collegium baſin ac fundamentum totius Imperii & ab eo omnem ejus ſalutem atque incolumitatem pendere* arbitratur. Nec aliter celeberrimus Polyhiſtor, rerumque Germanicarum peritiſſimus *Boeclerus l. 6. c. 1. de notit. Imp.* ſentit, cùm *in partes iviſſe & fracto horologio ſimilem fuiſſe futurum Imperii contextum, niſi Electorale collegium firmitudinem adjeciſſet* concludit. Quibus excellentiſſimis Viris, cùm ratio Imperii & notoria experientia ſuffragentur, non eſt, cur inutilibus tricis immoremur.

Tantæ

Digitized by Google

Tantæ autem dignitatis character acquiritur *vi & virtute* regni & principatuum A. B. *c.* 7. §. 2. id eſt legitima poſſeſſione ditionum, quibus præter officia Electoralis quoque dignitas adhæret. Sunt verò *Moguntina, Trevirenſis & Colonienſis* diœceſes: *Bohemia, Bavaria, tractus ad Albim circa Wittebergam, Marchia* (quo nomine tamen Neo-Marchiam & Sternbergenſem ditionem non complector, (cùm Electoratus dividi nequeant, hæc autem peculiaribus ſubdita fuerit Principibus, & titulo confraternitatis Pomeraniæ Ducibus, ſi familia Brandenburgenſium prior occumberet, deſtinata fuerit, Electoratu alia conventione Haſſiæ Landgraviis reſervato) *& inferior Palatinatus.* Et *Eccleſiaſticis* quidem *electione* à capitulis (quæ tamen in eligendo Cæſare non admittuntur) ritè inſtituta; aut ſi convenire nequeant, *collatione* ab Imperatore & Pontifice defertur hæc eminentia. His etiam ad munus electorale obeundum ſola ſufficit electio,

electio, [illegible] ex confirmatione & pallio non gratis redimendo (quod quater pauciſſimorum annorum ſpacio Moguntiæ accidit) inſuper habitis. *Monzamb. c. 4. §. 4.* Et hinc elucet, ipſos non ut Eccleſiaſticos, ſed ut Imperii Principes & Officiales electioni intereſſe, in qua hæreſi maximè confirmor clariſſimis A. B. c. 7. allegatis verbis. *Seculares* autem *ſucceſſione* lineali agnatica, vel Cæſaris *collatione* tantam dignitatem conſequuntur. Priore modo primogenito laico indubitatum jus ſuccedendi *Carolina ſanctio c.* 7. §. 2. conſtituit, ita, ut neque pactis, neque teſtamento contrarium diſponere Patri liceat. Extat tamen in Annalibus Marchiæ memorabile admodum *Friderici primi è Zollerana gente Electoris* teſtamentum, quo natu maximo Filio *Johanni* otii literati amantiſſimo, *Fridericum cum ferreis dentibus* prætulit. Sed cùm ille, gratiis Sereniſſimo Parenti habitis ultrò jure ſuo ceſſerit, nihil Carolinæ ſententiæ hîc dero-

Digitized by Google

derogatur. Vid. [illegible]
A. B. diſſert. 6. §. 7. Poſterio,
ſolus hucuſque Cæſar vacantem Ele[illegible]
ratum ſupplere conſuevit. A. B. *c.* 7.
§. 3. niſi quòd tenore confraternitatis
Saxonico - Brandenburgico - Haſſiacæ
habitæ Naumburgi Anno 1614. Cattorum Principibus jus exſpectantiæ ſit
quæſitum. Contra collationem Bavarici Electoratus graviter quoque proteſtati ſunt, quorum intererat, ceu, videre
eſt in exquiſitiſſimis Saxon. & Brandenburg. Legatorum votis *Cancellariæ Anhaltinæ refutatæ* ſubjunctis. Vid. Limnæus *tom.* 4. *ad l.* 3. *c.* 7. Hic tamen
Electoratus ad Wilhelminam lineam
reſtrictus eſt, qua extincta & octavus
Elector emorietur.

Ad acquirendam quoque hanc dignitatem requiritur *par tanto muneri ætas*,
quam octodecim annis celebrata definit ſanctio *c.* 7. Interea proximus agnatus honoribus & commodis tutelæ (quæ
aliâs Jure Civili onus meritò audit) frui-

Digitized by Google

rîs omnis & in ipſo Ele-
actu particeps. Motæ quidem
... deſuper in domo Palatina contro-
verſiæ, Duce Bipontino ex teſtamento legitimam Ducis Neoburgici deſtruente: ſed lis indeciſa hucuſque remanet, nec privatorum eſt de tantis rebus ſententias ferre. Vid. de hoc celebri negocio *Burgoldenſ. p.* 434. *& Colleg. Irenic. p.* 279. *& præprimis conſilium Beſii c.* 7. *p.* 258. *de pact. fam. ill.* Exercitii autem gratia, contra Jura Civilia *legitimam teſtamentariæ præferendam* eſſe defendemus, cùm teſtamenti tabulas contra tenorem legis factas, jure ipſo nullas eſſe, adhuc dum perſuaſi ſimus.

Sereniſſimi Electores ita conſtituti, conſequuntur *Officia* ſplendidiſſima, quibus vaſtum Imperii corpus gubernatur. Clericis enim *Cancellariorum* munera obtigerunt, quæ dignitas apud Romanos tanta eſt, ut ejus in Cardinalium numero poſſeſſores, vix ſecundi à Papa eſſe voluerint *D. Joh. Strauch. amœnit. Jur.*

Digitized by Google

Jur. Canon. eclog. 2. *c.* 12. Gallia quoque officiorum venditrix hanc dignitatem omne pretium excedere ſtatuit. Quanta etiam *Moguntino per Germaniam Archi-Cancellario* ex hujus exercitio accedat authoritas, è Limnæo, Bœclero aliiſque quotidie obverſantibus Publiciſtis facilè Benev. Lect. advertet. *Trevirenſis per Galliam Belgicam & regnum Arelatenſe*, *Colonienſis* item *per Italiam* munus, jure licèt & titulo integris, uſu ferè exolevisse videtur. Quando autem hæc dignitas aliâs ambulatoria hiſce diæceſibus addicta fuerit ex ſcriptorum antiquitatis penuria diu controverſum atque incertiſſimum fuit, donec non ita pridem *Illuſtris D. Bernh. de Mallinckrot Eccleſ. Monaſter. quondam Decanus*, *Moguntinæ* Eccleſiæ ab Ottone I. collatam eſſe demonſtraret. *De Trevirenſi* res longè incertior, cujus ſubſcriptionem vix ante A. B. tempora invenies. Hinc *Germaniæ Papinianus D. Strauch exerc. exot. Jur. Publ.* 2. *n.* 9. tum demum hanc

 quali-

qualitatem ipſi obtigiſſe arbitratur: niſi cum aliis ſtatuere malimus, ideo non apparere diplomata ſubſcripta, quòd Cæſares rariſſimè in ejus diſtrictu commorati ſint. *Colonienſi* verò hoc jus jam à Friderici Barbaroſſæ ætate competiiſſe, certus author eſt laudatus *D. Mallinckrot de Archi-Cancellariis part. 3. memb. 3.* Huic etiam *jus ungendi* & extra ſuum territorium alternis vicibus cum Moguntino coronandi Imperatorem competit; licèt haud neſciam, Auguſtiſſimo LEOPOLDI vertici, tres illos Eminentiſſimos Principes coronam ſimul impoſuiſſe. In curia Imperiali ſolenni, ſigilla ab argenteo baculo pendula ſinguli geſtant & Cæſari, mox reſtituenda, offerunt.

Illuſtriſſimum quo Seculares ſplendent officium eſt decantatiſſimus *Vicariatus*, cujus virtute Imperio morte Cæſaris viduato proſpiciunt, extra fines agente Imperatore parilem exercent poteſtatem, omniaque illius, ſi collationem

nem feudorum, quæ per vexillum conferuntur, excipias, obeunt munia. Alienare quidem aut oppignorare res Imperii etiam iis interdictum, ſed nec Cæſari, ſine Procerum conſenſu, hoc permittitur *artic. 12. capit. Leopold.* In Germania jus illud *Palatino atque Saxoni* A. B. tribuit; in Italia, quoad titulum, Sabaudus eo gaudet, aliâs enim quilibet Princeps in ſuo territorio eſſe iſthic locorum creditur; in partibus Friſiæ Vicariatum Maximilianus I. Filio ſuo Philippo Belgarum Principi (ſi authori *des berichts auff die Bayer-Anhaltiſche Cantzley c.* 3. fides) contulit, quem tamen hodie exoleviſſe conſtat; & Auſtriæ Archi-Duces, ſuis terris ex privilegio præſunt. Palatino Suevia Rhenus reliquaque loca, ubi jus Franconicum viget, obtigerunt. Saxo autem terras polo propiores, ubi Saxonica jura valent aut tum temporis valuerunt, aſſignatas habet. Deciſiones Cameræ uterque ſuo munit ſigillo, Rohtwilanum

B 3 verò

Digitized by Google

verò dicaſterium ſolus Palatinus dirigit, quieſcente omni jurisdictione aulica, à qua nonnulla indeciſa ad ſuum regimen Vicariatus avocare, uterque conſuevit, reliqua Moguntinus interveniente Vice-Cancellario obſignat, & horum acta ſub inaugurationis exordio Cæſar confirmare tenetur. Reliqua ſtatum rei Germanicæ magis concernentia conventibus Electoralibus reſervata iri crediderim. Ipſas Vicariatus intimationes & edicta ex actis publicis præſertim Anni 1657. uberius Ben. Lect. colliget.

In hoc verò ſplendidiſſimo munere ſolus hucuſque Saxo ſine contradictione remanſit. Palatino idem ad FERDINANDUM uſque III. contigit. Cùm autem Electoralis dignitas domui Bavaricæ à *Ferdinando* II. eſſetcollata, *Maximilianus* primus ex ea familia Elector, ſolum tunc vertente Palatino, Vicariatum titulo inveſtituræ exercuit. Inſtrumento pacis deinceps Bavaro Electora-

tus cum

Digitized by Google

tus cum omnibus pertinentiis & juribus relictus, Palatinus in inferiorem Palatinatum & ab eo dependentia jura & dignitates, *Vicariatus expreſſa mentione intermiſſa* reſtitutus eſt. Hinc *annexum ſui Principatus Electoralis Palatinus* vocitat, hinc *dignitati Electorali ſibi collata cum Dapiferatu cohærere Bavarus* in noviſſimo interregno poſſeſſor ejus juris contendit. Certum interea eſt Palatinos diu ante acquiſitum Electoratum hoc munus ceu Præfectos Prætorio adminiſtraviſſe. Sed deciſioni Superiorum rem tanti momenti meritò committimus, ne in eodem negocio cenſuram Academiæ Lipſienſis, quâ orbis imperantis Clariſſ. Funccii pars prima notata eſt, ſubeamus. Cæterum conſiderari merentur, quæ pro Palatino ſatis politicè *Monzamb.* §. 8. *c.* 4. annotat.

Reliqua Secularium Officia magis antiqui ſtatus externum ſplendorem referunt. Scriptores enim ſeculorum ſeptimi octavi &c. uno ore hæc quatuor,

 quibus

quibus quintum nuper acceſſit, officia, ſupremi ponderis fuiſſe perhibent. Sereniſſimis autem familiis, quibus nunc junguntur, à Friderico Barbaroſſa fuiſſe attributa *Dn. Conring exercit.* 10. *de republ. imp. Germ.* facit veriſimile. *Bohemia Rex* eſt *Archi-Pincerna*, atque in ſolenni curia, poculum Imperatori porrigit. *Bavarus Archi-Dapifer*, ſeu Comes aut Judex palatii, Major Domus in proceſſu ſolenni pomum Imperiale præfert atque è culina quatuor ſcutellas cibis repletas ad Cæſarem defert. *Saxonis Archi-Mareſchalli* munus omnium eſt ampliſſimum & ad ipſa Comitia extenditur, ubi de alimentis, hoſpitiis aliiſque proſpicit. In bellis Imperii defenſivis omnes Ordines præcedit, & prælium orditur. *Gaſtel. ſtat. Europ. publ. c.* 9. *n.*101. Hic evaginatum gladium coram Cæſare geſtat & ſub convivii Imperialis initio argenteum modium avena, Auguſti equo danda, replet. *Brandenburgenſis Marchio Archi-Camerarius* ſceptrum in proceſ-

ſione

Digitized by Google

ſione gerit & in Curia aquam Imperatori præbet, reliquis mantile tenentibus. *Palatinus Archi-Theſaurarius* nummos aureos atque argenteos in circumſtantem populum ſpargit & coronam geſtat.

Abſentium munus *Sub-Officiales hereditarii* ſupplent, invitis licet & proteſtantibus Electorum Legatis ordinariis. Sunt autem, Bohemi *Baro de Limburg*, Bavari *Comes de Zeil*, Saxonis *Senior Comes de Pappenheim*, Brandenburgici *Princeps ab Hohenzollern*, Palatini *Comes de Sintzendorff*. His etiam præter equos Electorales, calix, ſcutellæ, modius cum baculo, malluvium & pars monetæ miſſilis cedunt. Pinguius eſt, quòd in renovatione feudorum non privilegiatorum decem auri marcæ, cuilibet illorum exhibendæ ſint, quamvis hac de re non levis inter *die Erb' und Hoff-Aemter* controverſia ſuperſit.

Suavis autem illorum error eſt, qui non ab Imperatore, ſed *Epiſcopo Bambergenſi*

bergenſi ſupradicta Electorum officia conferri ſentiunt. Licèt enim haud negemus, hujuſmodi quid à Papebergenſi Præſule requiri, certum tamen eſt id ipſum non ratione officiorum Imperii, ſed ſolius diæceſeos fieri, quam *Henricus* II. eò amplitudinis evexit, ut ſummos regni Officiales etiam miniſteriis Epiſcopatus illius aſſcripſerit. Hinc etiam non per Sub-Officiales hereditarios Imperii ſuprà laudatos, ſed Franconicos quoſdam Nobiles de *Aufſſas*, *Pomersfelden*, *Ebner & Rotenhaen* eo munere funguntur. Et ſolenne magnis eſt Principibus, ſplendoris ergo, hujuſmodi Officiales in ſuis inſtituere ditionibus, uti ante annos aliquot *Potentiſſimus Elector Brandenburgicus* meritiſſimis de Re Publica Heroïbus, *Illuſtriſſimo Suerinio in Electoratu & Excellentiſſimo Somnitzio in Pomerania Camerariatum hereditarium* contulit. Juramentum verò fidelitatis nullum Epiſcopo præſtatur, & Brandenburgenſis cum Palatino fortaſſis igno-

ſis ignorat, quid præter titulum ab iſta Diæceſi habeat.

Primarium verò omnium tam Secularium quàm Eccleſiaſticorum eſt *jus*, fati legem explente, aut Imperium in manus Electorum (non Pontificis, ut perperam nonnulli è Canoniſtis ſtatuunt) reſignante Cæſare, *eligendi* ſupremum Orbis Chriſtiani caput *Imperatorem*, & ſi neceſſitas poſtulet Regem *Romanorum*, quem à tempore Maximiliani I. *Germaniæ Regem* dicimus. Hunc à ſeculis aliquot è ſuo collegio nominare, omneſquè non indigenas excludere conſueverunt. Moguntinus Imperii Archi-Cancellarius & Electorum Decanus intra menſem à morte Cæſaris, ſuos collegas propriis ſumtibus convocat, qui tamen, ſi negligentior ſit Moguntinus, proprio motu congregari atque Imperii commodo proſpicere ſolent. Salvus conductus ex præſcripto A. B. ſub pœna fractæ pacis à Statibus, quorum territoria peragranda, ſingulis Electoribus

præſtandus eſt. Equitum quoque certus numerus, ne nimia copia civitas laboret, aut armata ſint Comitia, quod in electione Poloniæ regum à quibuſdam magnatibus fieri amat, eſt præſcriptus, qui tamen ultra ducentos nunc extenditur. Durante electione quæ tribus menſibus à morte Cæſaris elapſis, regulariter inſtituitur, omnes peregrini urbe exeſſe jubentur, quod S. P. Q. Francofurtenſis juratò Electoribus promittit, nec circa Legatos Franciſci I. Galliæ Regis in electione Caroli V. aut Ferdinandi IV. circa Hiſpanos & Polonicos Oratores ulla diſpenſatio facta eſt. In poſtrema tamen glorioſiſſimi LEOPOLDI neque Mareſchallus de Grammont & Marchio de Lionne Gallici Legati, neque Comes de Penetanda Hiſpanus cum Sabaudo aliiſque ceſſerunt, unde ſpeciale decretum Collegii Electoralis de non in poſterum intromittendis exoticis enatum eſt. Sacrarium templi S. Bartholomæi electionis actui

nis actui

Digitized by Google

nis actui deſtinatum eſt, ubi Pontificii à celebratione Miſſæ ordiuntur. Proteſtantibus quidem tantiſper in conclave ſecedere ſolenne fuit; aſt ex conſilio Lutheri apud Schleidanum, aliorumque magni nominis Theologorum citra reverentiam (*weil Sie* ut Joachimus I. Elector Brandenburgicus dixit, *die Meſſe nichts angehet*) officii politici ergo ſubſiſtunt. Pòſt altari propriores ſe dignum electuros Imperatorem juramento aſſeverant. Moguntinus deinde à reliquis, poſtquam Seculares ſe capitulationem, ſi quis eorum eligatur, ſanctè ſervaturos promiſerunt, ſuffragia colligit, ipſe ultimo loco, à Saxone rogatus, ſententiam dicit, ubi plura ſuffragia pro univerſis valent. Electio deinde literis conſignatur & Electorum ſigillis corroboratur. Abſentis autem Electoris nulla habetur ratio, cùm ſuâ culpâ id damnum ſentiat. Tandem ſæpiſſimè citatus Moguntinus advocata multitudine electum Cæſarem pronun-

ciat,

ciat, cui deinde certis legibus imperium committitur. Reliquos actus ceremoniales, cùm diſſertationis limites excedant, rectiùs acta publica edocebunt.

Unicum heic loci monuiſſe fortaſſe non ſuperfluum, *Proteſtantes ſcilicèt indignè à throno Imperiali arceri*, quicquid cum Kiffero Papicolarum aſſeclæ blaterent. Ad eos enim advocatia Romæ, quam pio ſupercilio ſpernunt, nil attinet, nec ad eam Cæſarem obligari manifeſtè *capitul. Leopold. tit.* 1. ſtatuunt. Et non immeritò in prudentiſſimis votis Octoviralibus circa moderni Invictiſſimi Cæſaris electionem (ſi modò vera ſunt, quæ hoc nomine proſtant) generoſo zelo Sereniſſimus Palatinus in Trevirenſe votum invehitur, quo ut omnes Evangelici, ita nominatim Auguſtus Brandenburgicus, quem tamen fœderibus vaſtiſque regionibus potentem & Septentrionalibus regibus parem, quem prudentia & fortitudine veris Imperiorum fulcris inclytum,

quem

quem apud diſſitos & indigenas pari fama, grandi rerum gerendarum momento illuſtrem, quem, unico verbo, dignum ſceptro judicat, hoc ſolùm nomine, quòd hæreticum putat, licèt & hæc controverſia *artic.* 7. *inſtrum. pacis Weſtph.* ſit ſopita, rejiciuntur.

Officiis ita ex ratione propoſiti enodatis ad ſummam Electorum dignitatem & eminentiam juraque Majeſtatis, quæ Regalia Feudorum interpretes vocare ſolent, aſſcendendum eſt, ne ex miniſteriis Sacro & Supremo totius Chriſtianiſmi Capiti exhibitis, quis ſecius ac par eſt, cum Joh. Bodino aliiſque, de auguſta Ipſorum conditione argumentetur. At hoc dum molior, deteſtanda mihi venit quorundam Juris Publici ſcriptorum fœda adulandi libido, qui, *Boeclero* judice, Majeſtatis jura ex uſu rerum pręſentium in gratiam aulę Cęſareę explicant: aliorum refellenda eſt ignorantia, qui è Jure Romanorum Civili Germaniæ publicum fabri-

fabricant. Credidiſſe eos autumo, eandem tranſmiſſione hereditaria noſtrorum Imperatorum & Auguſti Tiberii ſequentiumque eſſe poteſtatem, nec quod Romanis lege regia licebat, minùs apud noſtrates obtinere. Sed quantum inter ſe differant, vel ipſis puto in hiſtoria tyronibus apparet. In Romanos & Conſtantinopolitanos Cæſares populus omne imperium & poteſtatem conceſſerat: Germanicis Electores præſcribunt ſtatuta, quibus ſtandum eſt, ſi Cæſares eſſe velint. Illi regionibus præficiebant Moderatores pro arbitrio removendos: Electores ſucceſſionis jure ditionibus ſubjectis imperant, adeò abſolutè, ut vix Cæſari relicta ſit adminiſtrationis inquiſitio; cùm Ipſi è contrario eligendi (an & deponendi? Sic expreſſè Monzamb. *c.* 4. adductis exemplis aliique non proletarii ſtatuunt: conſideratione tamen ſunt digniſſima, quæ Boeclerus ad *c.* 3. *l.* 1. Grotii de I. B. & P. & in notit. Imp.

pru-

prudentiſſimè monuit) Cæſarem jure polleant. Romanis antiquis belli pacis & fœderum jura erant integra. Noſtris nec bella gerere nec fœderum nexu ſe ligare inconſultis Electoribus eſt facultas. Atque ita in plurimis, ceu paulò pòſt patebit.

Qua ratione autem & quo tempore tanta poteſtatis Cæſareæ facta ſit diminutio, aut quibus gradibus Electores ad invidendum iſtud faſtigium pervenerint, hac vice indagere non vacat. Fecere id cum Limnæo Conringius, Burgoldenſis plurimique exaſciatæ eruditionis Viri, cùm Principum Germaniæ ſortem perſcrutantur. Fecit & nuper ſed longè excellentiore methodo perſonatus quidam ex aula Brunſvicenſi Conſiliarius Cæſarinus Furſtenerius, qui utinam, quamvis neget, non aliquando magis contra Electores, quàm pro Principibus ſcripſiſſet. Notat ſanè toto de Germania libro graviſſimus author C. Tacitus, jam ſuo tempore majo-

Digitized by Google

majoribus noſtris Reges *exemplo magis quàm imperio* præfuiſſe, ut pene ridiculi ſint, qui libertatis Procerum cunabula è proximis ſeculis eruunt. Sed eſto: obtineant Suprematum & ſumma à pauciſſimis annis regalia, dum nobiſcum fateantur, Electores Cæſarum beneficio, quo alii quoque reges non ſemel creati ſunt, ea *Majeſtatis jura* eſſe conſecutos, *quæ ipſam Majeſtatem* neceſſariâ conſequentiâ *inferunt*. Certiſſimum enim eſt Rudolphum I. Carol. IV. Maximilian. I. & Ferdinand. III. largiſſima manu publicisque ſanctionibus A. B. Rec. Imper. A. 1495. & inſtrum. pac. Oſnabr. ea noſtris Electoribus conceſſiſſe, quibus liberiùs atque Angliæ, Sueciæ & Poloniæ reges fruuntur ceu particulariter è ſingulis eluceſcet.

Cur autem *Majeſtatis titulo* non utantur Electores peritioribus facilè ſubolet. Nec etiam titulorum defectus aut prolixa ſeries hîc magnopere attendenda eſt,

Digitized by Google

da eſt, cùm & Sabaudum, qui tamen S.^mis Electoribus cedit, ſe Cypri regem ferre, Ludovicos, Childebertos Hildericos è Merovingis Galliæ reges nominetenus fuiſſe & contrà Cromwellium ſub Protectoris larva plùs quàm regia manu Britannis imperaſſe majores noſtri viderint. Sed nec regibus, quorum nomini & coronæ hic character præcipuè annexus videtur, Majeſtatis titulum exhibere Electores conſueverunt, quamvis idipſum Sueciæ Alexander Guſtavus Adolphus nondum res Germaniæ edoctus peſſimè tulerit, ſed dilectionis *Ewer Liebden* Carpzov. §. 16. *de non appell.* licèt hodienum, quòd Veneti, Batavi ipſique reges ſe invicem hoc titulo compellant, ſtylus curiæ mutatus ſit: ubi de Saxone tamen adhuc D. Wicquefort *dans ſes memoires des Ambaſſ. part.* 1. *pag.* 131. dubitat. Cæſar ſanè ante quadriennium Regem Angliæ non alio quàm Serenitatis nomine ſalutavit, quòd nec Electoribus Secularibus

ribus abnuit. Nec multùm à voce Majeſtatis differre videtur, cùm ipſe Imperator Fridericus II. in conſtitutione de A.° 1219. apud Goldaſtum *pag.* 297. hunc terminum, *ex abundanti Serenitatis noſtræ benevolentia*, adhibeat. Fratris quoque nomine modernus Galliarum Rex, repugnante licèt acriter Secretario Status Comite de Brienne, S.mum Brandenburgicum primò, pòſt & ceteros, Moguntino & Trevirenſi exceptis honoravit, eaque ratione ſibi æquales credidit. Franciſc. etiam Irenicus *ad Burgoldenſem p. m.* 133. Potentiſſimum Electorem Brandenburg. his verbis: *Zu deßen uhrkund haben Wir dieſen brieff mit Unſer Majeſtät inſiegel bekräfftiget* in contractu uſum fuiſſe perhibet. Memini quoque nobiliſſimum Groningæ quondam decus, nunc Dicaſterii Friſiorum Orientalium Aſſeſſorem meritiſſimum D. Feltman. *in tract. de jure in re* Carolum Æmilium glorioſiſſimæ memoriæ Principem *Electoralis Maje-*
ſtatis

Digitized by Google

ſtatû heredem appellaſſe. Sed nec Majeſtatem illis competere diſſimulare potuerunt vel conſummatiſſimus Juris Publici interpres Limnæus vel Saxon. JCtorum Princeps Carpzovius, informe iſtud diſtinctionis monſtrum in realem & perſonalem Majeſtatem defendentes, quarum illam Electoribus uterque, hujus etiam partem Carpzov. aſſignat *dogm. 5. de vot. ſeptemv.* Quid, quòd ipſa quoque Aurea Bulla *crimen læſa Majeſtatis* in eos committi *c.* 24. expreſſè ſtatuit vid. Boecler. *notit. l. 6. c. 2. §. 22.* Nec prætermittendum duxerim, quòd ſe Dei, non alius, *gratiâ* hoc faſtigium obtinere profiteantur, cujus axiomatis gratiam ne Aurelianenſi quidem aut Condéo Rex Chriſtianiſſimus fecerit.

Et quoniam validum *à definitione* peti argumentum Schola cenſuit, videbimus an & hæc Sereniſſimis Electoribus applicari poſſit. Ariſtoteles, ſanctum illud multis nomen, dicit eſſe poteſtatem in civitate ubique. Quæ licèt

rega-

Digitized by Google

regalibus Electorum accommodari facillimè poſſit, majoris tamen lucis gratia pleniorem ex *lib. 3. c. 2.* Politicæ Ampliſſ. D. Claſſenii afferemus. Majeſtas eſt ſumma & libera poteſtas adminiſtrandi ſocietatem civilem ad propoſitum finem obtinendum & conſervandum. Dicit ſummam, qua ſcilicèt nulla præter Deum ſit ſuperior; ſed in ſua republica, ſed ad obtinendum finem. Dicit liberam, id eſt, nullis aſtrictam legibus, quibus finis propoſitus impediri poſſit. Et iſthac ratione ſummam atque liberam poteſtatem Electores noſtros obtinere, ulteriùs probaturi ſumus.

Specioſè quidem multa obſtare, quæ & Status conſultis ſcrupulum non ſemel moverunt, licèt nullus negem, talia tamen ſunt, quæ compoſitionem non difficulter admittunt, &, ſi ex vero diſputare velimus, magis videntur quàm ſunt contraria. *Teneri* ajunt Electores *legibus univerſalibus, ſubeſſe judicio Cameræ,*

Digitized by Google

mera, *feudi nexu Cæſari obligari*, *ex delicti gravitate proſcribi*, horumque oneroſorum titulorum nullum exiſtere cum ſumma & libera poteſtate conſortium. Sed fallit exterius frontiſpicium. Leges enim univerſales in Comitiis, convocatis omnibus Ordinibus, in auguſtiſſimo Electorum ſeparato collegio primò ventilantur, inde ad re & correlationes cum Cæſaris Plenipotentiario & Principibus, ipſiſque Civitatibus deſcenditur, atque ita omnium conſenſu jus, quo obligantur, conſtituitur. Licet interea cuilibet Statui legibus quandoque contrariis ſibi proſpicere, & quàm exiguus celeberrimi de Anno 1654. ad amputandos proceſſuum anfractus nati Receſſus adhucdum in foro civili ſit uſus, cauſarum Patronos non fugit. D. Strijck *in præfat. ad Brunnemau. paratitla*. Feudi nexus citra dubium aliquid ſubjectionis inferret, ſi antiquo feudorum rigore Electores obſtringerentur, nec hodienum ditiones, quibus præ-

Digitized by Google

præſunt, eſſent hereditariæ & patrimoniales atque ita hæc feuda ferè allodialium, (quod de Brandenburgicis Sprengerus *in lucerna Imperii* & Irenicus *ad Burgold.* expreſſè aſſeverant,) naturam induiſſent, Carpzov. *de Leg. Reg. c.* 13. *ſect.* 6. §. 39. Et quoniam, ut rectè incomparabilis Grotius *l.* 1. de I. B. & P. *c.* 3. §. 23. omnis nexus feudalis eſt tantùm ſpecies fœderis inæqualis & habendi modum potiùs quàm rem ipſam afficit, facilè apparet, quantum à vaſallo ſubditus diſtet. Nam & Hiſpaniæ rex, intuitu Neapolis, Papæ vaſallus eſt, quem tamen pro abſoluto ejus regni Principe reliqui agnoſcunt, licèt eum titulo hominis ligii & ſubditi Pontifex oneret *cap. ult. verſ. rurſus non eſt in med. Clement. de Re Jud.* Cùm etiam in Imperio noſtro inveſtitura nemini denegari poſſit, qui intra legitimum tempus eam petit, nec Electores ejus nomine quicquam ſolvere teneantur atque ante receptionem feudi Sereniſſimus

mus Saxo Electoratus & Vicarii munera A.° 1657. impleverit, fortaſſis non malè eam Monzamban. *c.* 5. *§. ult.* ritus potiùs ſolennis, quàm veræ collationis vim obtinere aſſerit. Porrò nec ab Imperatore quidem, ſed ab Imperio Illius manibus feuda conferuntur, ceu manifeſtè R. I. de A.° 1521. aliique indigitant; & merentur legi, quæ contra Venetum Contarinum & Comitem Trautmanſdorffium hoc de negocio Juris & actionum publicarum callentiſſimus Wicquefortius *part.* 1. *ſui tractatus de Legationibus p.* 124, 25. *&* 26. diſſerit. Fidelitatis juramentum ſalvis cuique juribus præſtatur, quo quantum teneantur & nupera Hungarica bella & noviſſimè Bavariæ Elector, docuere. Et ſi ex eo ſacramento propriè dicta ſubjectio reſultat, conſequitur neceſſariò Hiſpaniæ, Daniæ & Sueciæ reges, qui ſunt Imperii Principes, Imperio perſonaliter eſſe ſubjectos, ibique conveniri poſſe criminaliter Cæſarin. Furſten. *de*

 Supre-

Digitized by Google

Suprematu Princ. German. c. 23. Ut autem quis ob turbatam pacem publicam ditionibus exuatur, proſcribatur, ſocietatum natura planè non reſpuit. Et hoc ipſum fieret manu bellica, qua omnis etiam extraneus Princeps jura gentium violans, & gladium ſuperiorem recognoſcens, coërcetur. Nec tamen Imperatoris eſt vel minimum Statum, nedum tantos Principes ſolio dejicere, niſi & reliqui Electores conſenſerint. Limnæus *l. 2. I. P. c. 9. & in addit.* Excellentiſſimus D. Böckelm. *ad ff. p.* 207. Hinc graviſſimè Legatus Brandenburgicus in voto Ratisbonenſi primo ſuper cauſa Palatina: *Es wurde auf die weiſe ein Churfurſt des Reichs weit deterioris conditionis ſein, dan ein Edelman in Polen, ſintemahl derſelbe nicht, dan auf öffentlichen Reichstage proſcriberet werden könne.* Sic dulciſſima mihi patria Libera Bremenſis Civitas, quòd telonio in Viſurgi ſuæ juriſdictioni obnoxio, ſe vi armata opponeret, adhibito Ser.morum

Electo-

Digitized by Google

Electorum conſenſu Anno 1653. proſcribebatur. De proceſſus hujus juſtitia ſeculi noſtri Livius Leo ab Aitzema *in hiſtoria ſtatus ad hunc annum* conſulendus eſt. In Palatinum autem & Megapolitanos Duces à ſolo Cæſare, contra capitulationis normam, evibratum banni fulmen non iniquos invenit cenſores, nec etiam jus ſuum involari ſegniter proteſtati ſunt, quibus Proteſtantium nomen eſt, Electores. Quòd autem variis de cauſis Cæſaris vel Cameræ forum ſortiuntur, (quorum tamen illud rariſſimè, hoc vix unquam ex jure de non appellando contingit) non magis ipſorum poteſtati derogat, quàm Poloniæ, Bohemiæque Principum, à quibus ad Scabinatum Magdeburgenſem provocare ſolenne quondam fuit, vel ipſius quoque Cæſaris, quem in civilibus judicem agnoſcere Palatinum A. B. *c.* 5. atteſtatur. De cetero obtinet jus Principum ſeu j*udicium parium*, *das Fürſtenrecht*, quod eruditiſſimè more ſuo de-

Digitized by Google

ſcribit D. Conring. *de negoc. convent. Imp.* §.58.*&c.* atque illud à Friderici II. temporibus introductum *jus Auſtregarum*, cujus notabile exemplum in Palatinatu circa jus Wildfangiatus Burgold. diſcurſu citato exhibet: ut ita dignitati Electorali circa iſtas objectiones ſatis cautum ſit.

Reliqua verò antiqui regni ſimulacra, *reſervata Cæſaris*, intelligo, non utique ejus ſunt momenti, ut exinde Sereniſſimi Electores in ſubditorum numerum detrudi poſſint. Jus poſtarum ſanè in ipſam adhuc Hollandiam per Comitem de Taxis Cæſar exercet, cui tamen exinde ſummam in Batavos arrogare Majeſtatem, hominis eſſet valde imperiti. Septem quoque liberarum Belgii provinciarum Unio Trajectina quemlibet docere poteſt, quid citra Majeſtatis verum diſpendium, ad communem conſeſſum referri aut uni omnium nomine deferri poſſit. Obſervant interea comiter Cæſaris, ceu Supremi totius Orbis Chri-

Digitized by Google

Chriſtiani Principis, Majeſtatem Electores, quam verò non ſumma & libera in ſe ipſos poteſtate, ſed dignitatis potiſſimùm & ſplendoris amplitudine metiuntur.

His ita, ne quid ſcrupuli ex ſola voce urgeat, præmiſſis, ad ipſa Majeſtatis jura progredimur, illorum exercitium clarè atque diſtinctè examinaturi, quo certiſſimo argumento quid Majeſtatis obtineant, elucebit. Sequemur autem ordinem, quo felix Grotii interpres Boeclerus *in annot. ad l. 1. c. 3. de I. B. & P.* omnia ritè abſolvi æſtimat. Primo loco ponit ille *jus nomotheticum*, cujus adminiſtrationem in provinciis Imperii, optimè tradit Illuſtris Erneſti atque Mauritii Saxoniæ Ducum, Germaniæ Atticorum, Cancellarius D. de Seckendorff *im teutſchen Fürſten Staat part. 2. c. 8.* Hoc auem jus Majeſtatis eſſe, nec ab alio, niſi Majeſtatis compote teneri, unanimis Politicorum eſt ſententia. Conſiſtit verò in ſanctione, interpre-

 tatione

Digitized by Google

tatione & abrogatione legum ex uſu Reipublicæ: qua ratione à Sereniſſimis Electoribus omnimodè poſſidetur Limnæus *l. 4. Jur. Publ. c. 18. toto*. Statuere enim ipſos leges poſſe non puto negaturus eſt, qui vel fando de Jure Saxonico, Deciſionibus Electoralibus, Conſuetudinibus Marchicis, aliiſque inaudivit. Et vanus eſt, hæc qui ſtatuta putat, cùm nulla Superioris confirmatione indigeant, ſed ut Sereniſſimus Saxo inquit: *Aus Churfürſtlicher macht und Hoheit in unſern landen*, proficiſcantur. D. Struvius *ſyntagm. Jur. Civil. exercit. 2. §. 41.* Paurmeiſt. *de jurisd. l. 1. c. 8.* Cordatè etiam Excellentiſſimus in Illuſtriſſ. Viadrina Profeſſor *D. Sam. Stryķius in præfat. ad Brunnemanni paratitla: Quot Principatus, tot Imperia in Imperio ſunt. Quiſque Principum ex territoriali excelſa poteſtate jure nomothetico gaudet. Quiſque, prout ſubditis ſuis conſultum viderit, jura moderatur.* Nec aliter S.mi Electoris Palatini Conſilia-

ſilia-

Digitized by Google

ſiliarius & Dicaſterii Præſes, nunc in alma Lugduno-Batava Profeſſor Primarius, Præceptor noſter quondam æſtimatiſſimus Magnific. D. Bôeckelman *in comment. ad ff, l. 1. tit. 3. §. 9:* ſentit; cùm *tantam Principum leges obtinere authoritatem, ut ne Lege quidem Univerſali in Comitiis abrogari poſſint, niſi Status is, qui dedit, conſenſerit*, ſtatuit. Derogant juri cùm Cæſareo, tum Pontificio, imò ipſis Imperii Receſſibus, ut evidenter è noviſſimo de Anno 1654. colligitur D. Bôeckelm. & D. Strijcke *cit. loc.* Secundùm iſtas quoque leges, ſi, quod monuimus vix contingere poſſe, proceſſus ob caſum denegatæ juſtitiæ ad Cameram devolveretur, pronunciandum eſſe, Ordinationes Camerales *part. 1. c. 57.* atteſtantur. Nec in criminalibus Nemeſis Carolinæ æqua ubivis eſt ratio. *Jus* etiam *aggratiandi*, quod rectè ſolius eſſe ſupremæ poteſtatis deducit D. Struv. *exert.* 49. §. 90. *Jur. Civ.* citra controverſiam exercent. In uni-

Digitized by Google

verſalibus Imperii legibus condendis & interpretandis ipſorum conſenſum eſſe planè neceſſarium §. 8. *Inſtrum. pacis Oſnabr. & Leop. capit.* ſatis arguunt, ut exinde nulla ſuperſit dubitandi materies. At quod maximè Electoralem eminentiam adſtruit, *ſoli ſcribunt leges, quibus Imperatoris poteſtas circumſcribitur*, cui inſigni privilegio, quantopere licèt reliqui Principes obnitantur, Septemviri (Bohemus enim hîc excluditur) nunquam renunciaturi ſunt. Formula ſcilicet capitulationis perpetuæ Inſtrumentò Pacis promiſſa & tam anxiis conſiliis Ratisbonæ quæſita, fortaſſis inter entia rationis (ſit mihi fas ita cum Scholis loqui) numerabitur; ætatem certè propter maximè variabilem Statum Imperii non feret. Sanciendæ autem & interpretandæ legis poteſtate ita aſſignata, jus derogandi S.mis Electoribus haud difficulter conceſſeris.

Secundum jus Majeſtatis eſt ſumma circa ſacra diſponendi facultas, quam *jus epi-*

Digitized by Google

jus epiſcopale nonnulli vocitant. Jus iſtud regium & regis eſſe, Romanorum ſcriptorum conſenſus nos abundantiſſimè docet. Vid. Clapmar. *de arcan. rerump. l.* 1. *c.* 15. Carpzov. *Juriſp. Conſiſt. l.* 1. *tit.* 1. D. Seckend. *l.* 2. *c.* 11. Tanti quoque hoc regale in Germania æſtimatum fuit, ut Henricus V. dimidiam juriſdictionem abdicaſſe diceretur, cùm inveſtituram clericorum, frequentibus Wormatiæ comitiis, in Papæ manus reſignaret. Vid. Burgoldenſis *part.* 2. *diſc.* 11. §. 8. Sed hoc jure in ſolidum Saxo duntaxat, Brandenburgicus & Palatinus fruuntur, reliquis magna ex parte Pontificio dominatui, per concordata nationis Germanicæ, adhuc ſubjectis: *Proteſtantes* enim, quod de Clivenſi Duce, Germanorum Aquilius D. Feltman narrat, *in ſuis ditionibus ſunt Pontifices*, adeò ut Hiſpaniæ, Poloniæ aliiſque regibus hoc in jure nullatenus concedant. Quàm lautè ſcilicet non S.mis Electoribus ſolùm, ſed & omni Proteſtan-

teſtantium ordini in Imperio ſit proſpectum, tranſactio Paſſavienſis & præcipuè inſtrum. pacis *art.* 5. *&* 7. inculcant. Ipſi nempe S.mi Electores authoritate ſumma religioni ſuæ proſpiciunt, cujus liberum exercitium introducunt, introductumque mutant juxta conſtit. pac. religioſæ de A.o 1555. §. *Und damit ſolcher friede*, Ipſi Profeſſores, Paſtoreſque ſcholis & eccleſiis præficiunt & deponunt, Ipſi de bonis ſacris diſpenſant, conſiſtorialia judicia ſtatuunt, legeſque præſcribunt, de excommunicationibus cognoſcunt, concilia ſynodoſque habent, & nihil non agunt, unde Reipublicæ & Eccleſiæ concatenata ſalus & ſua in utramque poteſtas liquidò apparere poſſit. Videatur præprimis Magnif. D. Bôeckelmanni *epiſtola apologetica inaugurali ſuæ addita.* Speciale eſt & inſigne Majeſtatis argumentum, quòd Potentiſſimus Brandenburgicus *Ordinis Johannitici Magiſtrum* creare & de commendis diſpenſare poſſit Burgold.

Digitized by Google

gold. *part.* 1. *diſc.* 20. §. *ult.* quam dignitatem pronuper S.mo Filio, Principi LUDOVICO contulit Quanta etiam ejuſdem Auguſti Electoris in *conſtituenda Abbatiſſa Herrordienſi*, ubi elapſo proximo Februario, incomparabilis Eliſabethæ Palatinæ locum Princeps Anhaltina ſupplevit, ſit authoritas, facilè omnibus in proclivi eſt.

Subſequitur indubius ille Majeſtatis character, armata Rei Publicæ tutela, *jus belli*; quod, cùm A. B. *c.* 16. Receſſus Imperii atque Inſtrumentum pacis omnibus indulgeant Ordinibus, quis primariis membris denegabit. D. Struv. *jur. feud. c.* 6. §. 19. Reſtringit hoc quidem Mylerus ad Rumelin. in A. B. *p.* 554. ad certos caſus: ſi videlicet 1. contra ſubditos rebelles. 2. in adjutorium alterius Principis 3. ſi periculum in mora & 4. in terminis defenſivis arma ſumantur: ſed nec video, quò ulteriùs intra fines Imperii (nam externis Ipſos bellis implicari quotidiana docet

experientia) extendi debeat, cùm in reliquis optimo conſilio Cameram judicem Majores Illorum agnoverint. Quid autem hodie obtineat, Electores ad Rhenum in Palatinatu invadendo; Moguntinus & Brandenburgicus in Erfordia & Magdeburgo, durantibus Comitiis, capiendis: atque ex Principum numero, Duces Lunæburgenſes in controverſia de jure optionis & civitate Brunovicenſi; Epiſcopus Monaſterienſis in aggrediendis Belgis & ſubjugando Monaſterio, Rex Sueciæ, ut Dux Bremenſis, in patria mea, bis armis, ſemel obſidione terrenda, demonſtrarunt. Ceterum nec Cæſari, nomine Imperii, citra S.morum Electorum conſenſum exteris bella inferre conceditur Capitul. Leop. §. 13, 14. & 16. Jus ſequelæ, aperturæ, armandiarum, fortalitiorum, &c. ultrò jus belli conſequi facilè apparet, nec in hiſce exſtruendis S.mos Electores regibus concedere, Dreſda, Spandavia, Cuſtrinum, Konigſteinium, Ingol-

Digitized by Google

Ingolſtadium aliaque evidentiſſimè & ad exterorum invidiam atteſtantur.

Jus pacis ejuſdem eſſe, cujus eſt jus belli, ſupervacuum eſt aſſerere. Et ejus tenore Sereniſſimi Electores plenariam in tractatibus ineundis & claudendo Jani templo exſeruere poteſtatem. Sic Elector Saxoniæ cum Cæſare Ferdinando A.° 1635. fatalem Proteſtanribus futuram pacem Pragæ condidit. Sic Polonico-Suecicis conventionibus Olivæ S.mus Brandenburgicus A.° 1660. interfuit. Sic idem familiæ ſuæ Auguſtus publica tranſactione Poſnanienſi & Brombergenſi Boruſſiæ abſolutum dominium acquiſivit. Sic admodum nuper, ut alia mittam, cum Belgii fœderati Ordinibus Colonienſis & cum Galliarum & Suecorum Regibus ſeparatam à Cæſare & Imperii Statibus pacem Potentiſſimus Brandenburgicus iniverunt. Mediatorum quoque pacis munere inter Hiſpanos & Batavos ſub hujus ſeculi exordio, & A.° 1667. inter Gallum & Hiſpa-

Hiſpanum functi ſunt. Cumque in congregatione Hagienſi A.° 1608. Legatus Archiducalis Richardotius non eundem ipſis, quem Regibus Galliæ & Angliæ honorem in ſcribendo exhibuiſſet, rectè vir ſummè Politicus Præſes Jeanninus replicuit: *L' addreſſe de vôtre lettre n' étoit, qu' aux Ambaſſadeurs d'Angleterre & a nous, & j'ay fait adjouter a l'inſcription, des Electeurs & Princes d'Allemagne, craignant qu'ils ne ſe fuſſent offencez de cette obmiſſion.* Cæſar. Furſten. c. 59. In controverſiis quoque Regis Daniæ cum Duce Holſatiæ & Hamburgo, Regis Sueciæ cum civitate Bremenſi, Ducum Lunæburgenſium inter ſe, Epiſcopi Monaſterienſis cũ fœderatis Belgis & ſubjugando Monaſterio &c. pacis arbiter S.mus Brandenburgicus extitit.

Addendum eſt *jus fœderum* pangendorum, quod Majeſtatis juribus optimo jure, miraculum mundi, maximus Grotius *l. 2. de I. B. & P. c. 15. §. 3.* annumerat. *Nec enim fœdera eſſe, niſi quæ juſſu*

ſummæ

Digitized by Google

ſummæ poteſtatis ſunt, rectiſſimè apu Livium *l.* 9. ex intimis rerum civilium principiis concludit infelix ad furcas Caudinas Poſthumius. Electoribus autem jus illud eſſe integrum, ſufficienter inſtrum. pac. §. 8. arguit. Indicant idipſum quoque tot fœdera, quibus cùm ſe ipſos aliis, tum alios ſibi devinxerunt. Notum eſt fœdus Electorium, quo inter ſe uniuntur, in cujus teſſeram gemmis coruſcantem aquilam à Saxone, ſi Sprengero *in Juriſp. publ.* fides, obtinent. Notum quoque eſt fœdus Electorium Rhenanum; quo Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis & Palatinus inter ſe obligantur. Sed illuſtriora ſint, quæ cum exteris jam præteritis ſeculis pepigêre fœdera. Memini ait Bodinus 47. fœderum, in quæ reges noſtri Philipp. V. Carol. V. VI. VII. & Ludovic. XI. cum Germanicis Principibus coïverunt. Succeſſere Smalcaldicum, cui Franciſc. I. & Chamborticum, cui Henric. II. Galliarum reges intererant.

Noſtro

Digitized by Google

noſtro ſeculo memorabile fuit Lipſienſe cum Guſtavo Adolpho Sueonum rege à Proteſtantibus initum. Nec minùs celebris eſt illa Chriſtianiſſimi Regis cum Eccleſiaſticis Electoribus Moguntiæ inita confœderatio. Quomodo Hiſpaniæ, Daniæ & Sueciæ Reges A.° 1672, 73. & 74: quomodo fœderatum quoque Belgium A.° 1655, & 72. &c. aliique in fœderis leges cum Potentiſſimo Brandenburgico convenerint, teſtantur ſatis, quæ publici ſunt juris, tabulæ. Nec ipſe Sacratiſſimus Imperator LEOPOLDUS Poloniæque reges, quibus etiam feudi nexu ratione Pruſſiæ Domus Brandenburgica obligabatur, modernum S.mum Electorem FRIDERICUM WILHELMUM offenſivo, defenſivoque fœdere devincire unquam dubitarunt. Vid. Thulden. *part. 3. p.* 125.

His jungitur individua Majeſtatis comes, *dominium eminens*, quod penitiſſimè ſupremis & liberis poteſtatibus in-

Digitized by Google

bus inhærens, non niſi iiſdem diſſolutis interit. Nomen ejus primùm à Grotio, exercitium jam à plurimis ſeculis invaluit. Omnis ſiquidem ævi hiſtoria docuit, Principibus reſervatum eſſe in caſu neceſſitatis & utilitatis publicæ de ſubditorum bonis diſpenſandi arbitrium Magnif. D. Bôckelman *ad l. 1. ff. tit. 4. §. 23.* Nec hodienum quis facilè in civitatis numerum recipietur, quin ſe ſuaque utilitati publicæ poſthabiturum ſolenni juramento dixerit. Et hanc legem in omnibus Electorum ditionibus obtinere non ſubdito magis, quàm peregrino conſtat. In antiquis etiam Germanorum ſcriptis vocabulum *Nohtnunfft* occurrit, quo dominium hoc notari cum Boeclero plurimi emunctæ naris colligunt. Ita in concordatis Archiepiſcopi Mogunt. Gerhardi de A.° 1289. cum civitate Erfurtenſi legitur: *Man bekennet den Ertzbiſchoff von Maintz an ſeinem gerichte Zu Erfurt kampffs, Gottes friedes Burg-friedes*, der Nohtnunfft *und*

und alles des Rechts, daß er von alters her an ſeinen gerichte gehabt. Sic ad vacillantium aggerum ſuſtentationem etiam non ſubjectos cogere, imminente hoſte ſegetes exurere, ruſticis armenta auferre, vicinos vallo parietes dejicere, imbellem ſexum obſeſſis mœnibus ejicere &c. hujus legis tenore triſte magis quàm injuſtum eſt, illiusque ſpecimina detonans nuper bellorum tempeſtas, heu nimis luculenter, exeruit. Sed fortaſſis decantatiſſimum hoc dominium ſpecialem locum inter Majeſtatis jura non meretur, cùm omnibus reliquis neceſſariò inhæreat. Conſule Celeberr. D. Becman *in meditationib. & parallelis Politicis h. t.*

Vectigalium indicendorum poteſtatem cum Illuſtri Grotio Boeclerus ſubnectit, eodem nomine tributa intelligens. Juri bellorum iſthanc plurimi jungunt, quòd *neque quietem gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis* haberi poſſe Princeps Hiſto-

Digitized by Google

Hiſtoricorum Tacitus *l.4. Hiſtor. c. 74.* innuat. Sed, cùm præterquam quòd omnia regalia necti queant, Reipublicæ adminiſtratio nec pacis tempore à ſumtibus immunis ſit, Majeſtaſque ad ſplendorem ſuſtinendum plurimis indigeat, facilè apparet, ſeparatam eſſe regalis hujus rationem. Iſto autem Sereniſſimos Electores pleniſſimè frui è præcedentibus apparuit & vel modicè verſatis eſt obviam *vid. §.29. capitul. Leopold.* Speciali conceſſione jus imponendi vectigalia jam A.° 1456. privilegio Divi Frider. III. Brandenburgicos obtinuiſſe author eſt Irenic. ad Burgold. *p.* 183. Omnes certè contributiones, omnes collectæ, omniaque vectigalia, aut quocunque demum nomine iſthic acquirendi modus veniat, ad ſolum ditionis ſpectant Principem, qui vel ex mero arbitrio, ceu Sereniſſimus Palatinus, vel convocatis provinciarum ordinibus agendi nervum tributa, parùm attendente, oves ſuas tondeat an deglabat

Cæſare.

Google

Cæſare, imperat. Ad Cameræ ſuſtentationem modicum & ſat gravatè ſolvitur; minus adhuc Imperatori quod tribuendum ſumma ſuaderet æquitas. Vid. ominoſ. rerum ſeriem in comit. Ratiſp. part. 2. Inſuper notandum nullam eſſe ſolius Cæſaris in vectigalibus concedendis poteſtatem, niſi expreſſus Electoralis collegii conſenſus intervenerit *§. 21. capit. Leopold.*

Jus monetæ cudendæ S.mis Electoribus facilè concedet, qui Civitates Imperiales iſthoc per Germaniam frui perceperit. Differunt ſolùm in eo, quòd liberæ noſtræ Reſpublicæ Cæſaris Imperiive effigiem ex altera parte exprimant; Sereniſſimi verò Electores ſuam faciem, ſubjectique Principatus inſignia, more regibus uſitato imprimere conſueverint. Sed & hîc notandum, quòd Cæſar nemini jus cudendi monetam, ſine conſenſu Electorali concedere poſſit. *Capitul. Matthiæ §. 34. & Leopold. ibid.*

Jus

Digitized by Google

Jus ordinandi judicia probè à magiſtratibus conſtituendis ſeparatum illuſtris Grotius Majeſtatis juribus annumerat. Et ſanè non contemnendum ſummæ poteſtatis eſt indicium de ſubditorum perſonis, eorumque rebus dubiis citra appellationem poſſe diſponere, & miſeris auxilia, reis terrorem, omnibus tranquillitatem, æqua lance, vindiceque gladio, abſoluta poteſtate impertiri. S.mis verò Electoribus eam Aurea Caroli IV. conſtitutio *c.* 8. 11. variorum Cæſarum confirmationes & noviſſimus Imper. Receſſus §. 125. pleniſſimè attribuerunt. Exercent quoque iſtam in ſubjectas ditiones erigendo Juſtitiæ ſacra dicaſteria, iiſdemque Cancellarios, Præſides, Aſſeſſores præficiendo potentiam. Sic S.mus Saxo ſupremum aulicum Lipſiæ aliud tribunal aulicum Wittebergæ & appellationis judicium Dreſdæ inſtituit. Sic Potentiſſimus Brandenburgicus Coloniæ ad Suevum in Electoratu & Regiomonti in Bo-

Digitized by Google

in Boruſſia ſupremas Themidi ſedes erexit. Vid. Brunneman. *de proceſſ. civ. c.* 28. *n.* 117. Atque ita pro tractu & commoditate regionum ſuarum ceteri. Cameræ Spirenſi quiſque duos Aſſeſſores præficit, & judicii aulici Conſiliarios, à ſolo licèt Cæſare conſtitutos, Eminentiſſimus Moguntinus juramento devincit & reviſionem in utroque foro exercet.

Huic ſuccedit *jus magiſtratuum conſtituendorum*, quod penes ſummum imperium in qualibet eſſe republica nemo facilè inficias iverit. Hoc etiam S.mos Electores pleniſſimè gaudere, confidenter aſſeret, qui illorum aulas vel eminus introſpexit. Pro-Principes, quantum nomen! ante immortalis gloriæ Heroëm Potentiſſimum Brandenburgicum quenquam ſtatuiſſe, nuſquam obſervatum memini. Hic autem magnificentiſſimus Elector Anhaltinum & Naſſovium Principes ut & Croyæ atque Holſatiæ Duces, Marchiæ, Cliviæ, Pruſ-

Digitized by Google

Pruſſiæ, Pomeraniæ &c. vicaria po teſtate regendis præpoſuit. Imitatus eſt illuſtriſſ. exemplum S.mus Bavarus in Principe Palatino Sultzbacenſi ſuis ditionibus præficiendo, quod & ceteri pro re nata æſtimabunt. Inſequuntur Hephæſtiones, admiſſionis intimæ & ſtatus Conſiliarii, campi & aulæ Mareſchalli, aliique quos in curarum partem Majeſtas vocare aſſolet, quorum liberrimam conſtitutionem S.mi Electores nemine contradicente ſuo jure ſibi vindicant. Quantum autem Majeſtas & Magiſtratus diſcrepent, vel hinc in aprico eſt, quòd S.mis Electoribus & Pro-Principum geſta examinandi, & ſi quid deliquerint, eos officio dejiciendi facultas competat. An idem Cæſari noſtros in Electores liceat, Germanis auribus inauditum credidero. Quin potiùs quòd Illorum juribus & privilegiis non derogare velit, ſolenni ſacramento, priuſquam Imperatorium characterem indipiſcitur, aſſeverat, ceu multis noviſſima capi-

capitulatio §. 3. 7. 8. 9. exhibet. Notandus autem hîc præprimis Chriſt. Beſoldi *in diſput. de regal. c.* 6. inſignis error, dum Germaniæ Principes, quantumvis majore potentia quàm Præſides aliique Romani Officiales ſplendentes, nihilominus magiſtratus perpetuos, ex ſuavi ratione, quòd feuda ab Imperatore recipiunt, æſtimat, qua de re ſuprà §. 23. ratiocinati ſumus. Utut etiam nomina Ducum, Marchionum, Palatinorum &c. quibus adhucdum noſtri Principes Electores coruſcant, magiſtratuum characteres fuiſſe concedamus, ſtatu tamen priſtino exſpirante iſthæc quoque officia dudum deſiiſſe, cuilibet ſatis eſt in propatulo. E contrario autem laudatus Cæſarin. Furſtener. pleroſque Germaniæ Principes ex vetuſtiſſimorum Regum, Principumque ſtirpe fuiſſe ortos, nec plurimis Auſtriacam aut Capetingicum familiam præferri poſſe erudititiſſimè demonſtravit.

Cùm

Digitized by Google

Cùm etiam belli paciſque tempore plurima Principes inter pertractanda veniant, quibus expediendis magnates vacare publico non expedit, jus gentium *Legationes* & ſancta oratorum corpora introduxit. Hos licèt antiquior ætas non magnopere diſtinxerit, obtinuit tamen noſtris moribus, ut Legatos inter & Ablegatos diſcrimen injiceretur. Illos recenti vocabulo Ambaſſadores; hos Envoyés, Deputatos vel Syndicos appellant. Illos à nemine, niſi Majeſtatis compote, nec ad alium, niſi Majeſtate pollentem mittendos, non ſtylo magis authores, quàm authoritate Principes ipſi contendunt. S.mis autem Electoribus jus iſtud pleniſſimè competere ſuperius adducta loca ſatis evincunt, ut legibus exempla ſolummodo ſubjungenda ſint. Luſtrabimus verò omnium primò Reſpublicas liberas majores & in iis præcipuè *præpotentes Status fœderati Belgii*, qui nullam inter Regios & Electorales Legatos admiſere

D diſtin-

Digitized by Google

diſtinctionem, prout S.mus Brandenb. quoque æquali honore ipſorum Legatos afficit: Sic A.° 1658. D. Yſbrants Berolini omni civilitatis genere receptus & contrà quatuor Legati Brandenburg. ſimul, pari Regiis honore Hagæ-Comitis A.° 1648. æſtimati ſunt. Vid. pluribus D. Wicquef. *memoires des Ambaſſadeurs part. 2. p. 275. 76. & 308.* Idem quoque Venetiis in Helvetia & Genuæ, negociis poſtulantibus obſervatum iri eò certiùs perſuaſus ſum quòd præter Venetos adhuc ex antiquitate ſuæ Reipubl. & amiſſis regnis diſputantes, reliqui Status S.mis Electoribus loco facilè ceſſuri ſint. In *regnis Septentrionalibus* pares etiam Regiis Legatis Potentiſſimi Electoris Brandenburgici Ambaſciadores fuerunt & modernus glorioſiſſimus Daniæ Rex S.mi FRID. WILHELMI Sanctiori Miniſtro Per-Illuſtri D.no Baroni de Blumenthal, ſe eundem ipſi quem Hiſpano & Britanno Ablegatis honorem exhibuiſſe A.° 1671. conteſtatus,

Digitized by Google

ſtatus, nec ſe quicquam, in gratiam Regum mutaturum, quod non ſimul in favorem S.mi ſui Principalis redundare debeat, pollicitus eſt, D. Wicquef. *part. 2: p. 309.* In *Polonia* Excellentiſſimum D. ab Hoverbeeck cum Regibus Joh. Caſimiro & Michaële glor. mem. Sereniſſimus quoque Johannes III. & Reſpublica Poloniæ pleniſſimo legationis jure frui viderunt & aſſenſi ſunt. Eundem cum D.nis de Somnitz & Oſten tractatibus pacis Olivenſis æquali charactere interfuiſſe, ſubſcriptiones publicæ atteſtantur; quò Gallos & Suecos etiam diſtinctionem inter. Legatum Primarium & Secundarium contra expreſſam inſtructionem & literas, ut vocant, credentiales S.mi Electoris Brandenburgici meditantes, Excellentiſſimus Somnitius Neomagi ablegavit. *Hiſpania*, nullum licèt hucuſque Legatum Electoralem Madriti viderit, ex honore tamen in noviſſima pacis diæta Brandenburgicis

Digitized by Google

præſtito, facilè quo erga tantos Principes ſit animo, licet colligere. Monaſterii Legatis Electorum idem qui Venetis honos primæ viſitationis, Excellentiæ titulus & reddentibus viſitationem potior locus ab *Apoſtolico Nuncio* ceremoniarum perito ſatis & tenace eſt exhibitus. è Vittor. Siri Cæſar. Furſt. *c.* 36. Noviomagi ipſe *Cæſar cum Galliæ & Angliæ Regibus* id ſuis injunxere, Gallis licèt, cùm aliud quod carperent non haberent, præfatam diſtinctionem Legatos inter, ſed ſcrupulo ut Cæſar. Furſt. *c.* 36. loquitur, omni rationis colore carente, prætendentibus. Admiſſis certè reliquis Majeſtatis juribus, neſcio quid hæc, extra Imperii diætas, inutilis diſtinctio, monſtri alat. Hinc prudentiſſimè ſæpe citatus D. de Wicquef. *dans ſes memoires p. 298. part. 2. La diſtinction entre les perſonnes des Ambaſſadeurs ne ſe pouvoit pas faire dans les regles; parce qu'on ne fait honneur aux Ambaſſadeurs, qu'en*

conſi-

Digitized by Google

conſideration de leurs Maîtres & on ne les peut pas ſeparer. Sed de his ſatis eruditè maxima ingenia proximis annis ſcripſerunt, ut poſt Homerum Iliada componere ſuperfluum meritò judicem. Quantam reverentiam *Tartarorum Chamus, & Moſcorum Cæſar* ſuis Legationibus Sereniſſimo Brandenburgico exhibeant, ille in caſtris victorioſis ad Sedinum, hic elapſo anno in aula Berolinenſi, & meis uſurpavi oculis & publicæ relationes affatim docuere: ut non malè Author *proſopograph. Electorum Secularium* poſt plurima incomparabilis Illius Principis glorioſiſſima facta ſubjunxerit: *Quin & ſuperbos Moſcos, truces rapaceſque Tartaros ſe ante Heroa proſternere vidimus.*

Atque hæc ſunt illa Majeſtatis jura, hæc indubitata ſummæ & liberæ poteſtatis ſunt κριτήρια, quorum uſurpatores *ipſam obtinere Majeſtatem* cum maximis viris compendium illud ingeniorum, quod penes ſcientiæ hujus ſtetit imperium,

rium, ſummus Grotius *cit. loc.* intrepidè concludit. Nec equidem colligo, qua ratione, præter homines quoſdam umbraticos ſolo ſcholæ pulvere inſignes, etiam nonnulli exotici Status Miniſtri in hoc paſſu quodam ſcrupulo urgeantur; ut non ſine cauſa D. Wicquefort *in aureo ſuo de Legation. tract. part.* 1. *p.* 119. dixerit: *Une bonne partie des Docteurs d'Allemagne, qui ne ſçait que la Politique du College, a travaillé à deſtruire la Souverainité des Princes de l'Empire, pour l'eſtablir toute en la perſonne de l'Empereur. Mais je ne ſçay comment la France a pû donner dans cette erreur populaire, apres avoir ſi ſouvent traitté avec eux, comme de Souverain en Souverain &c.* Si enim ad fœderum conſuetudinem eos admiſit, ſi ad belli & pacis negocia ineunda jure inſtructos, ſi Legationis jure illuſtres eſſe S.mos Electores credidit, quid impedit, quò minùs plena Majeſtatis æſtimatione gaudeant. Conf. D. Puffend. de I.N. & G. *l.* 7. *c.* 4. *§.* 11. *&c.*

Super-

Digitized by Google

Superſunt & *peculiares* aliquot *prærogativæ*, quibus in ipſo Imperii corpore S.^mi Electores eminent, quas è Politici ſchedis Illuſtriſſ. Boineburgii (quem maximum laborantis Germaniæ Senatorem D. Conring. *p.* 227. *antiquit. Academ.* æſtimat) Boeclerus *cap. cit.* pleniùs exhibet. Eximiæ in illis ſunt 1. Quòd jus habent quotannis & quoties volunt ſe congregandi 2. Quòd jus habent ſoli comitia Cæſari ſuadere aut conſentire etiam per noviſſimum Receſſum §. 192. Hip. ol. à Lapide addit Cæſare à comitiis abhorrente Electores ea indicere poſſe. Alii tẽpore interregni ipſos comitia indicere & celebrare poſſe ſtatuunt. 3. Quòd rerum maximarum vel inter ſe vel cum Cæſare præconſultationem, minorum etiam definitionem facere poſſunt. 4. Quòd ſeptem ſuffragia tantid[illegible] ſunt, quanti in univerſo Imperii [illegible] dimidia pars Ordinum valere po[illegible] ordinariis Imperii [illegible]

Digitized by Google

gíum, reale & ſeparatum collegium conſtituunt. 6. Quòd inter collegia in comitiis principem locum ordinis authoritatiſque tenent. 7. Quòd coram ipſo Cæſare habent ſuos Uraniſcos, Cardinali Cleſelio à Ferdinando II. negatos. 8. Quòd ſoli cum Cæſare prandent & cœnant in publico ad ſuam quiſque menſam pompatico apparatu & eadem exactitudine inſtructam, cùm ceteri Principes uni menſæ junctim accumbant, aut adſtantes ſpectent.

Aſſerta his fundamentis Electorali Majeſtate, ſupereſt, ut quem *ſeſſionis & præcedentiæ* gradum inter Pares ſuos obtineant, indagemus. Cæſari, Pontifici & Regibus ipſos cedere manifeſtum eſt, Legatis tamen Regum, quòd & ipſi S.mi Electores Regum nomine veniunt, ceu §. 1. vidimus, in actibus curiæ præferuntur. Controverſum duntaxat [illegible] Regibus obtine- [illegible] ſe principio of- [illegible], quos in eccleſia Romana

Digitized by Google

mana Regibus æquiparari, quandoq; præferri tralatitium eſt. At quanto S.mis Electoribus intervallo diſtent, elegantibus diſſertationibus, & præſertim tertia, complexus eſt, vir ſummus Joh. Freinshemius. Quòd etiam Franciæ Principibus è regio ſtemmate & multò magis S.mis Electoribus locò ceſſerint, teſtatur Celeberr. D. Cruſius de jure *προεδρείας p. 965. & 66.* Sereniſſima quoque Venetorum Reſpublica ex diuturna poſſeſſione, antiquitate ſui ſtatus & florente quondam duobus regnis potentia controverſiam, nominatim Monaſterii, S.mis Electoribus movit. Æquali tamen Ipſos cum Venetis honore, & Cæſarei, Gallicique Legati & ipſe Nuncius Apoſtolicus, fruſtrà contrarium ſuſtinente Hiſpanorum Plenipotentiario D. de Saavedra, (quem cum D. Contarino ignorantiæ ſtatus Imperii D. Wicquef. *p. 126. part. des memoir.* inſimulat) affecerunt. Nec eſt, quòd de poſſeſſionis diuturnitate Veneti adeò glorie-

[illegible]entur cum è ceremoniali Parid. de Graſſis Julii II. Pontificis tempore conſignato, ipſos Sabaudo & multò magis S.^{mis} Electoribus poſtpoſitos fuiſſe conſtet. In concilio Tridentino quoque Venetos inferiorem obtinuiſſe locum author eſt Illuſtris Thuanus hiſtor. *l.* 8. Belgium etiam fœderatum Venetorum exemplo fruſtrà Riſenburgi in Pruſſia, ubi Marchio Sigismundus Legatus S.^{mi} Electoris Brandenburgici Anglico ceſſit, præcedentiam affectavit, nec Monaſterii hoc in paſſu quicquam obtinuit; è contrario autem Bilefeldæ in Weſtphalia A.° 1671. Dux Neoburgicus, ex Electorali Palatina proſapia, maxima animorum contentione primatum verſus Batavorum Legatos attentavit. Magnus Dux Hetruriæ dum Sabaudo cedit, contra S.^{mos} Electores nequicquam prætendere audet. Ipſe verò Sabaudus quid de ſtatu Electorum ſentiat è reſponſione magnanimi Caroli Emanuelis Duci Longuevillæo & Cardinali de la Valette, data li-

quet,

Digitized by Google

quet, dũ aperto capite ſummos à Re[illegible]
Europæ Principes ſuoſq; ſuperiores p[illegible]
nũciat. D. Wicqueſ. *p. 63. part. 2.* Et han[illegible]
Magni Principis ſententiã capitul. Leo-
poldina §. 5. omnibus numeris approbat.

Reſtat jam, ut verbo *quomodo Electo-
ralis dignitas finiatur,* indicem. Hîc ſolius
mortis naturalis A. B. mentionem facit,
cui tamen renunciatio voluntaria adjici
poſſet. Viderunt quoque patres noſtri e-
lapſo ſeculo Joh. Fridericum Saxonem
& noſtro Fridericum Palatinum ſuprema
hac dignitate à Cæſare exutos, ſed id ip-
ſum manu bellica, nec ſine maxima rerum
Germanicarum converſione, ſummiſque
periculis fuiſſe perpetratum, annales no-
ſtri ſatis loquuntur. Hac verò ratione o-
mnes etiam Principes exoticos ſua po-
tentia poſſe excidere, ſuprà jam monui-
mus. Atq; perluſtrato ſic cõpendioſè no-
biliſſimo argumento pedem figimus, ſub-
miſſas immortali Deo fonti omnis Maje-
ſtatis pro conceſſa ſua gratiã ag[illegible] [illegible]a-
tias, cujus ulterius patrocinium [illegible]
mus ſine intermiſſione & FINE.

Digitized by Google

VOS. INTE...
OPTUMI. MAXU... ...CTORES.
...LUSTRISSIMA. COEL... DEPOSITA.
ORBIS. EUROPÆ ...LICIÆ.
GERMANORUM. TU...ELARES. DII.
QUORUM. SAGACE. C...SILIO. SARTA.
TECTA. NOBIS. EST ...SPUBLICA.
QUORUM. HEROICA. VIRTUTE. ILLÆSOS.
AB. HOSTE. TUEMUR. LIMITES.
QUORUM. ... REGA...
MUNIFICENTI... ...ANIS. ILLIBATUS.
CONSTAT. VIGOR.
VIVITE. VIGETE.
FAXIT. HUMANITATIS. ARBITER.
QUI. VOS.
PRIMA. A. SE. DIGNITATE.
INTER. MORTALES. CONSTITUIT.
...IT. MAJESTATEM. VESTRAM.
...N. SUPREMA. MAGIS. POTESTATE.
QUAM.
...ERRITO...UM. IN. ORBEM AMPLITUDINE
UNIVERSA. METIATUR. EUROPA.
... VIVITE. VIGETE.
O. OPTUMI.
IN. CER... AFFLICTI. SECULI. SOLAMEN
NEC. NI... SERIS. NEPOTIBUS. NOTA. DIES
EREPTOS. SOLO. COELIS. INSERAT.
VIVITE. VIGETE.
O. MAXUMI.
...ET ANTE. DECRETORIUM. AB. ORBE.
DIVORTIUM.
PEREUNDO.
PARITE.
... IT ... MAJESTATIS. SUCCESSORES
POSTERITATI...

F I N I S.

89 951644

Digitized by Google